

de correlato quæri, non de fundamento. Et respondet, ὑπόστασις αὐτῆς hoc est personæ Patris. Sensus Ergo simplicissimus hic emergit, Filius est splendor gloriæ Paternæ, imo character & imago Personæ Trinitatis primæ, nimirum Patris.

XXVIII.

In quo autem ratio imaginis consistat, non quidem expressè scribitur, facilè tamen subintelligitur, quod non sita sit in distinctione Personali qua differunt, sed in unitate essentiali, qua conveniunt. Sicut igitur Coloss. 1, 5. Filius imago Dei invisibilis appellatur, ita hic imago ὑπόστασις Patris, utrobique per sona cui est similis, non res per quam est similis, disertè exprimitur, licet & ista simul tacitè involvatur. Hacrenus ille,

XXIX.

Quamvis verò Papicolæ plerique exponant de substantia vel essentia (nec etiam aliter possunt, cum ita vulgata habeat versio, à qua recedere est anathema Cōcilij Tridentini incurere) nihilominus tamen Bellarminus ita differit: Nominè hypostaseos licet aliqui intellexerunt essentiam; tamen rectius alij accipiunt personam paternam,

XXX.

Quin & ipsi Græci Theologi hoc ipso loco innixi, diligenter omnino & sollicitè intra ὁσίαν & ὑπόστασιν in Doctrina de Deo distinguere consueverunt.

XXXI.

Ὀσίαν enim teste Basilio Magno naturæ nominarunt communitatem, sive id quod Deo simpliciter ex essentia competit, atque de omnibus personis indiscriminatè prædicatur. ὑπόστασιν vero appellarunt proprietatem, per quam res quæpiam definita à communitate generis distinguitur.

XXXII.

Hinc Latini etiam Theologi ad vitandam ambiguitatem inter substantiæ & subsistentiæ vocabula, quæ usitato Latini sermonis more idem penè significant,